CYPRIANUS CARTHAGINENSIS

Anfang 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26404

Copyright: Admont, Benediktinerstift

INCIPIT ALTERA PARS EPISTOLARUM EIUSDEM CYPRIANI EPISCOPI. IN PRIMIS DE DOMINICA ORATIONE.

Euangelica precepta fratres karissimi nihil aliud sunt quam magisteria di
uina. fundamenta edificande spei. firmamenta corroborande fidei.
nutrimenta fouendi cordis. gubernacula dirigendi itineris. presidia op
tinende salutis. que dum dociles credentium mentes in terris instruunt. ad re
gna celestia perducunt. Multa et per prophetas seruos suos dici deus uoluit et
audiri. sed quanto maiora sunt que filius loquitur. que dei sermo qui in prophetis
fuit propria uoce testatur. non iam mandans ut pararetur uenienti uia. sed ipse ueni
ens. et uiam nobis aperiens et ostendens. ut qui in tenebris mortis errantes, in
prouidi et ceci prius. luce gratie illuminati iter uite dulce, et rectore domino tene
remus. Quia inter cetera sua monita et precepta diuina quibus populo suo consuluit
ad salutem. etiam orandi ipse formam dedit. ipse quid precaremur monuit. et instru
xit. qui fecit uiuere. docuit et orare. benignitate ea scilicet. qua et cetera
dare et conferre dignatus est. ut dum prece et oratione quam filius docuit apud patrem
loquimur facilius audiamur. Iam predixerat horam uenire. quando ueri adoratores
adorarent patrem in spiritu et ueritate. et impleuit quod ante promisit. ut qui spiritu
et ueritate de eius sanctificatione percepimus. de traditione quoque eius uere et spi
ritaliter adoremus. Que enim potest esse spiritalis oratio. quam que a christo nobis
data est. a quo nobis sanctus spiritus missus est. que uera apud patrem precatio. quam que a fi
lio eius ore prolata est. ut aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit sed culpa.
quando ipse posuerit et dixerit. reicitis mandatum dei. ut traditionem uestram
statuatis. Oremus fratres karissimi. sicut magister deus docuit. Amica et familiaris
oratio est. dominum de suo rogare. ad aures eius ascendere christi orationem. Agnos
cat pater filii sui uerba. cum precem facimus. qui habitat intus in pectore. ipse
sit et in uoce. et cum ipsum habeamus apud patrem aduocatum pro peccatis nostris.
quando peccatores pro peccatis nostris petimus. aduocati nostri uerba promamus.
Nam cum dicat quia quodcumque petierimus a patre in nomine eius dabit nobis. quanto ef

BIBLIOTHECA ADMONTENSIS